

In qua videtis portionem pyramidis materialis superiorem portionem vix tertiam occupare, ita ut tres videantur esse pyramidis formalis portiones ad vnam illius materialis.

Porro à tertia diuisione in suprema regione ad sedem Dei videtis pyramidem materialem paulatim & gradatim ascendendo deminui; Quare certissimum est, quod quo magis creatura angelica propinqua est naturæ diuinæ, eo etiam & in ipsius compositione materiam reddi puriorem, tenuiorem, & rariorem, & consequenter proportione minorem esse, atque ut videtis in ista demonstratione, quod quo magis tendit pyramis illa versus conum eo etiam maiori pyramidis seu emanationis formalis à Deo emissa portione includitur, ita angeli ordo quo propinquus in sua natura accedit ad Deum, hoc est, quo subtilior & rarior est in materia, eo plenior & ditior est in forma diuina, atque ex istiusmodi proportione pyramidalis colligere fas erit angelorum dignitates, exaltationes, atque differentias: nam quo magis in materiæ multitudine submergitur natura interna angeli, quæ à DEO mera forma effulset, eo magis gradu & honore deprimitur ipsa; vnde factum est, quod secundum Dionysii animaduersiones Ordo *Seraphin* dignitate & excellentia præcellit illum *Cherubin*, quoniam suprema seraphicæ in compositione materiali portio est in cono pyramidis materialis, quæ contigua est ipsi Deo, quare & angeli istius ordinis sunt illi, qui immediate dicuntur stare in præsentia Dei, & consequenter qui immediate recipiant igneos seu lucidos à Deo influxus, quos tum postea ad *Cherubin* demittunt, ut & *Cherubin* ad *Thronos*, atque ita successive in reliquis; ita ut quo magis deorsum remouentur ordines in sua positione, eo remotiores sunt à dignitate præsentia diuinæ. Hoc videntur in theographia profundiores verbis quidem expressioribus arguere; quæ sunt huiusmodi, Quo substantia angeli est simplicior, eo magis à materiæ dominio distat, quo autem magis à materiæ multitudine abest ordo angelicus eo expressius similitudo Dei relucet in eo, tanquam in clarissimo & politissimo speculo, & consequenter splendor Diuinus est in eo clarior, & influenza felicitatis copiosior, viuacior, atque dignior, Hinc dicit Dionysius, Qui ordinis sunt superioris, copiosius recipiunt lumen DEI, quam qui inferiores sunt, & hi lumen illud quod receperunt aliis inferioribus participant, hæc enim participationis lex inter angelos obseruatur. Hæc ille. Sed & hoc clarius per demonstrationem quandam in physica nostra De Microcosmi historia, vbi de hominis interni harmonia mentionem fecimus est explicatum, quam etiam ad meliorem huius rei intellectum hoc in loco denuo sic expressimus.